

POMERANIA ET DIETHMARSIA.

præclaras opibus & structuris exuperans, nobile Vandalorum emporium, tantis opibus mercatorum negotijs frequens, vt vix aliud par illi, tum Europa videbat, Conſtātinopoli excepta, quæ tum florebat. Ibi Rusi, Dani, Sorabi, Saxones & Wandali suos vicos & plateas incolebant. Situs huius Iulinensis vrbis fuit, haud procul à lacu magno Pomeraniæ, quem tres amnes, Panus, Zuuinus & Diuinouus collecti ante exitum Oderæ ex lacu, sicut & Suenus alias exitus, per quem via patet ad Mediterranea Pomeraniæ loca. Wologastum Ducalis olim ciuitas, Demynum, Tributum Cæfaris vulgo Tribuzes, Rebellio. i. Robel, Bolgrade, Grotzwina, Stolpe, Colbergū, Louenburgum, Tangermunda, Sternibergum, Golnauia, Stargardia, Tanclém, Ancgelheim. Apud Caminum Insula est Christoæ, & magnus ille lacus paulò ante memoratus. Insula ibi est apud Vvinetam, vrbis non men fuit, & Oderæ ostia, quæ tribus alluitur fretis, quorum aiunt unum esse veridissimæ speciei, alterum subalbidæ, tertium motu furi bundo perpetuis sœuiës tempestatibus. Est hæc regio vbiique fertilis, aquis irrigua, stagnis abundans, nauibus peruvia, diues agris, pascuis, pomis, lignis, riuis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumento, butyro, melle, cera & alijs his similibus rebus. Est quoque optimè culta ciuitatibus, oppidis, arcibus & vicis, nec ullus in ea locus est vacuus & incultus, nisi quæ aut lacus, aut montes occupant. Flumina insigniora ab occasu in ortum sunt Reconicius, Prenous, Trebelus, Panus, Verius, Randous, Odera seu Viadrus, Planus, Inaus, Mallius, Molcius, Rega, Porsantus, Raddins, Raddofius, Nostius, Grabous, Vipera, Stolpius, Lupanus & Lebius. Veteres quoque Vistula, Braus, Bdaus, Pilous, Ruddous & Vvarta. Montium hic plura iuga, sed quorum apud Authores nulla fama est, sicuti nec syluarum, quibus tamē Pomerani non carent. Mineræ præterea nec thermæ illuc vllæ celebres, colligunt autem Incolæ in mari Succinum, sed non tantum, quantum Pruteni. Terminos habet ab Occidente ducatum Megapolitanum, seu Mechelburgésem, ab Oriente Prussiam, à Septentrione mare Pomeranicum seu Balticum, à Meridie Marcam Brandenburgensem veterem & nouam. Incipit ab Occidente sub longitud. grad. 35. minut. 26. vbi Vismaria, definitque sub latitud. grad. 54. minut. 48. vbi rursum Leuwenburgū. A Meridie initii sumit, sub latitud. graduum 53. minut. 56. Vbi Konigspergum, ac in Septentrione definit sub latitud. gradu 54. minut. 48. vbi rursum Leuwenburgum. Subiacet itaque sub initium decimi climatis, quod est per Tanais ostia usque ad medium eiusdem: ita vt Parallelus per eam transiens Boreus fit 22. vbi dies prolixior horarum 17 $\frac{1}{4}$. Longitudinem itaque habet ab Occasu in Ortum milliariorum Germanicorum 65 $\frac{1}{4}$. seu Italicorum. 261. Latitud. verò ab Austro in Boream mil. Germanico. 24 $\frac{1}{2}$. seu Ital. 90.

DIETHMARSIA.

Diethmarsia Marsorum populorum sedes & reliquiae creduntur, ij nomen suum à Marso Tuisconis nepote Herminonis filio Germanorum rege repetunt, de his sic refert Althamærus sicut Tuiscones, Herminones, Ingenones, Islenohnes Germani Teuthonica sunt

vocabula: ita Marſi etymon habet Germanicum. Veteres namque Germaniæ populi Saxones (quorū hi pars sunt) palustria & aquosa loca, Mers & Merludæ appellant. Pallustres autē Marſos, sicut ē contra Holsatos patria lingua dixerunt, locis nemorosis habitantes; inde est Vilstermers, Crempermers, Thietmers. Cui sententiæ accedit etiam Albertus Crantzius libro primo Vandaliæ, cùm inquit, Marſi concessere ad Albim, quorum tenues reliquiae in palustribus sunt non longè ab ostio fluminis Thietmarsi, Vilstermarsi & Crempermarsi: qui quoniam in palustribus locis habitant, obtinuit Saxonum consuetudo, vt omnes palustres, Marſi vocentur. Et libro 1. cap. 1. Idem sic ait: Quoniam in vetutissimis rebus, vbi reliqua nulla est in literis memoria, coniecturæ fit locus, omnem ego Holsatiæ & Stormatiæ, in cuius solo fundata est Hamburga, Marſorum genti deputandas, puto: quæ in solis palustribus nomen seruavit. In aridis autem habitantibus, hoc nomen permisit, vt ad suæ gentis aliqualem in solo differentiam Holsati dicerentur, qui per vicinia nemora usque ad terminos Vvagriæ diffunduntur. Stormaria verò, quasi Storremarsia, à Stora flumine appellata, vt pro Marſia, Maria sit inolitum, vt fit verborum detersio. Omnis autem ea Marſorum natio, ab omni literarum memoria, fuit annumerata, ac etiamnum in inferiori Saxoniam accensetur: quamuis Danorū imperio subsit. Hic enim Regum Daniæ primogenitus, quemadmodum Galliæ Regum, in Delphinato moratur: ac quemadmodum Stormariæ seu Storremarsorum Hamburgum ciuitas est, sub duce Holsatensi: ita Dietmarsorum Metropolis est Bremensis, vrbis Episcopalis: Habet & Meldorpium & Heininckste, Tellincste, ac aliquot alia oppida. Ob vicinum Septentrionem frequentesque lacus aëre fruuntur humidiore. Regio ipsa palustris adeo est, vt peregrinantibus, itinerantibusque minimè peruvia sit: quibus impedimentis freti, diu se se ab exterarum gentium, vicinorumque hostium incursu, tutati sunt. Sylvis præterea tota implicata ac referta est. Vtpotè Borcholt, Burgholt, Aluersdorpenholt, Resenwalde, ac cōplures aliae. Agri fertilitas ob nimiā humiditatē vix commendāda est. In ipso Cimbrici, Chersonesi introitu ad Albis fluuij ostia sita regio est, terminaturque à Septentrione Eydero flu. & Danimarchia: ab ortu vbi Holsteinensi seu Holsatarium ducatu à meridie Albi fluuij & Storremarsia: ab Occidente oceano Germanico, vbi Heilichlant & Busen Insulas respicit. Incipit ab occasu à littore maris Germanici, circa graduum longitudinis 31. minut. 37. quo ferè loco est Meldorpium, & ortum versus exteditur ad 31. grad. 50. minuta, quo ferè loco conspicitur Aluersdorpium. Ab Austro incipit ab Albis fluuij ripa dextra, sub gradibus latitud. 54. minut. 42. ac Boreā versus porrigitur ad 55. grad. 33. minuta longitudinis. Vnde climatis subest 10. quod est per Tanais ostia, ac paulò ulterius per Bulleum Britanniz, ita vt Parallelus eiusdem Australis sit, post principium 21. vbi dies prolixior horarum 17. & $\frac{1}{4}$. Borealis autem ad medium 22. vbi dies prolixior horarum 17. & $\frac{1}{2}$. Longitudinem autem obtinet ab occasu in ortum, milliariorum Germanicorum 5. Italicorum, 20. longitudinem ab Austro in Boream, milliariorum Germanicorum 12. Italico rum 48.

SAXONIA REGIO.

SAxonici nominis Etymon obscurum reliquit vetustas. Eorum Tacitus non meminit, quod credo tum ignobiles adhuc essent. Meminit autem Ptolomæus, antiquorum licet Geographiam secutus, is Germanici maris accolas, ac potissimum insulares fuisse docet. Speculum autem Saxonicum in hanc sententiam de eorum nomine differit. Quod post obitum Alexandri magni, Asiatici Petroculis bellum intulerint (eo quod opem suppetiasque ipsi Alexandro tulissent) eosq; è Cilicia expulerint. Ipsi itaque vela dantes ventis, expulsi suis sedibus, appulere decem & octo rates in Prussia, quæ eremus tum erat. Duodecim autem Rhugia insulae appulere, è quibus natos dicunt Storemarsos, Diethmarsos, Holsatios, ac alios populos eius tractus. Petra autem, seu πέτρη Græca dictio, Latinis Saxum dicitur. Vnde Saxonum nomen deriuatum esse opinio est. Ab Asiaticis etiam Beccanus eisdem deducit: verum alio modo, dicit enim Sacas Asiae populos Colonias quasdam à se emisisse ad montes Moschicos, è regione Cappadociae alteram, quos Saccassones, quasi Sacarum filios appellatos contendit, ultra montes Tapuros alteram, ad latitudinem 56. paulò plus minus graduum, quam Ptolomæus Sasonum nomine signarit. Hoc priore sui parte, perinde atque illud posteriore corrupto, Saossones enim syncoptos, vel integrè Saccassones fuissent dicens. i. Sacarum filij. Ex his igitur Sacksonibus, sine duplii litera, vti nunc fit, scribedo Saxonibus, Saxones nostri Europæi descenderunt, quos Saxones nunc vocamus. Quamuis Germani excidendi syllabas studiosi, Saxon pro Saxonen ferè dicant. Saxonia autem veteris fines latius multo quam modernæ extendebantur, eratq; amplior multò. Id quod Crantzius diligenter monuit. Initium, ait lib. 1. cap. 1. Saxonice nationis est trans Albim ab Holsatia. Inde transiliens Albim per Diœcesim Bremensem in Westphaliæ usque ad Rhenum ferè pertinet, abinde verò in Hessiam peruenit, ad Hercyniam syluam (qui nunc Hertici montes dicuntur) pertingens, ad confinia Thuringiaæ, in qua olim non contemnandam partem Saxones, militiæ stipendium à Francis, quibus militauere, suscepserant. Inde iterum sub montibus longo tractu, peruenit in Regionem Albi non longinquam, complectens Wittenbergum & confinia eius, quæ nunc Saxonia superior dicitur: duobus principalibus Saxoniae sibi titulum vindicantibus. Legittima quadam successione, ad principes inferiores Saxoniae omnis regio pertinet. Sed superiorem apprehenderunt Misnenses Marchiones cum dignitate electuræ, quæ illi inseritur principatu. Meditullium autem huius quam descripsimus Provinciæ, totum ex Vandalico. i. Sclauico solo redactum est in linguam & mores Saxonum, in terra videlicet Brunswicensis, Luneburgensis, Magdenburgensis, Halberstadiensis. Ad eandem verò pertinet natione omnis Marchia Brandenburgensis, ex eodem solo Vandalico capta, ac versa in linguam & mores Saxonum. Saxonia autem antiquæ sedes & loca variae habitarunt gentes. Albi enim fluuij vicina loca Suevi habitarunt: id quod ex Strabone non obscurè colligi potest, qui lib. 7. sic ait: Suevorum gens amplissima, è Rhenô siquidem usque ad Albim peruenit fluuium, eorum portio etiam trans-Albim loca depascitur, quemadmodum Eumondori & Lancosargi. Et mox, Australis pars Germaniæ trans Albim flu. quæ quidē cōtigua est, à Suevis adhuc tenetur. Ptolomæus quoque idem testatur lib. 2. cap. 11. Sub Sydinis, inquit, Ruticij habitant, usque ad Vistulam flu. Interiores autem & Mediterraneæ gentes maximè sunt Suevi Augili. Qui magis Orientales sunt, quam Longobardi, protensi ad Septentrionem, usque ad medium Albis fluuij. Et versus Suevos, Semones, qui habitant post Albim. Testatur & nomen maris Ponteranici eiusdem littoris accolas fuisse Suevos, à quibus etiam ea ora maris, Suevicum mare dicitur. Circa Misnam & vicina loca, vt alibi etiam monebimus, habitarūt Cherusci, Chamaui, Dulgibini, Angriuarii, prope Rostochium in Mechelburgiensi ducatu, Sclauini, Sorabes, Heruli, Viltzij. Sideni autē ad Oderam in Mechelburgiensi ducatu, hinc Rutichij & Augili Suevi, Semones Suevi, in Brandenburgensi Marchia, usque ad Albim. Longobardi & Dulingi iuxta Meidenborch. Teutones & Anarpi, iuxta Berlinum. Ilingi autem in Lusatia vel Lansnitz. Heruli autem Va-


grijque, circa Cimbricam Chersonesum, quo loco nunc Holsatij manent. Reliquaque Balthei maris littora tenuere Circipæni, Polambi, Obotritæ, Rissini, ac Vandali, quorū idioma vetus etiam num aliquot Oostlandiæ Saxoniæ tractibus permanit. Quare regnum potius, quam principatus aliquis, olim Saxonia videri potuit, quæ tot tamque nobilibus populis abundaret, ac complures etiā ducatus complectetur, qui quidem hodie quoque à nonnullis ei annumerantur, dicuntur enim Saxoniae partes, Pomerania, Brunswicensis, Luneburgensis, Melchelburgensis, Bardensis seu Wolgastensis ducatus, Holsatiensis, Voitlandiæque ducatus, Turingia, Misniaeque comitatus prouinciales. Westphaliæ etiam totam huic adiungunt, ac Marchiam Brandenburgensem utramque veterem & nouam. Comitatus complectitur Mansfeldiæ ac Swertia & Schawenbergij, ac infinitos propemodum alios, Lusatia seu Lausnitz etiam tractum, ac Silesiarum regionem, his annumerandas volunt. Duo tamen præcipue principatus, vti suprà dictum est, hodie sibi Saxoniae titulu usurpan. Superior quidem circa Wittenbergum, quid dignitatem electuæ obtinet. Inferior verò circa Luneburgum & Lebenburgum. Nobilissimis hæc regio urbibus scatet. Braunschwigam habet ducalem, populi habitatorum frequentia, ac ædificiorum splendore ac magnificètia, ornatisimam: quadrata forma, turribus ac nomenis insigniter munitam: circuitum habet 2000. passuum, qui cōficiunt medium miliare Germanicū, eam Oracera flu. medianam fecerat, ac ab omnibus foribus purgat, pontibus tamen ubique tectus flu. est. Territorium planum est: Urbs ipsa duplii ac nonnullis partibus triplici etiam fossa circundata, ex aquis plenæ, vallis aggeribusque minutissimis distinctæ sunt. Urbs est quam Noriberga maior, Erdtphordia minor. Propemodum hæc in ipsis Provinciæ meditullio ac centro sita est. Tulusurgium eam Ptolomæus vocat lib. 2. cap. 10. Luneburgum quoque ducalis urbs ad flu. Elchnow sita, arte quoque ac natura satis munita, salis fonte ditissimo beata. Hæc enim præcipua ciuium eius mercatura est, quam terra mariquæ in longinquas exportant prouincias, maiorem tamen eius partem Hamburgenses negotiatores coemunt, ac ingens fœnus exercent. Lubeckum etiam nobilissimum emporium habet, ea Vandalicarum urbium præcipua in Vagria sita, quæ Holsatia hodie est: is locus dicitur *an der Schartau*. Hæc Episcopalis est. Habet & Meidenburgum famatissimum oppidum. Item Hamburgum in Storemarsia mercatura celebre. Halberstadium etiā Episcopalis urbs Oltemia flu. perluitur: in huius urbis medio extollitur tumulus ac collis: is duorum stadiorum habet longitudinem, ac in summo vertice latam ampliisque planiciem, in qua bina ædificata templa sunt, ædificijs splendidissimis canonicorum, illa autem quæ in monte sita sunt: ciuitas seu urbs dicuntur, quæ ad montis pedem Suburbia vocantur. Wittenberga, quæ Ptolomæo Calegia dicitur, celeberrimo Gymnasio floret, à duce Friderico circa annum Christi 1510. ibidem conditum. Francfordia ad Oderam quoque haud minus nobili vniuersali studio famata, quo eam ornauit Ioachimus primus eius nominis Marchio circa Annū Christi 1506. Rostochium quoque in Mechelburgiensi ducatu Academia celebris est, quæ ibidē erēcta est circa Annū Christi 1419. Grispwaldia etiam Pomerania in Bardensi seu Wolgastensi ducatu schola vniuersali nota est, eam obtinuit circa Annū Christi 1456. Lipsiæ in Misnia mentionem fecimus. Populi sunt robusti, validi, quorum potus cerevisia, cibus autem, plerunque laridum crudum, butyrum, caseus ac reliqua lacticiniorum genera. Aer regionis durus, purus ac saluberrimus, nisi quæ paludibus humectatur nimium, quod Marsis nonnunquam accidit. Gleba fertilis est, rerum omnium præterquam vini, tritici, præsertim & hordei. Mechelburgij ducatus, fecundissima fertilissimaque regio frumenti, ligni, lacuum, fluminique piscofissimorum, pecudum tum domesticorum, tum ferarum. Urbibus amplis, arcibus vicis ue mirè exulta. Isatim herbam quam *Quadan* ipsi vocant lanarum tintoribus aptissimam, abunde profert in Thuringia, ita ut incolarum pleraque pars, annonam sibi ex ea comparent. Sylvas complures complectitur, Lunenburgerheyd, Spondawerheyd, Galdebusch, Rattenauerheyd, Galbelheyd, Promerischheyd, Herciniaz porio-

SAXONVM REGIONIS QVATENVS EIVS GENTIS IMPERIVM NOMENQVE
olim patebat, recens germanag̃ delineatio, Christiano Schrotentio authore, Gerardus de Jode excudebat.

olim patebat, recens germanaq; delineatio,

*S. B.
Chris tiano Schrotenio authore.*

Gerardus de Iode excudebat.



SAXONIA REGIO.

nes: quarum priuatis suis locis meminimis. Fluminibus interluitur nobilissimis. Vt potè Albi, qui è Silesitarum montibus Bohemiam ab Moravia disterminantibus profluit, quo loco primum Hermunduri, consedisse dictintur, nunc Selaui Scythica gens adhabitant. Initio contra occasum ruit, & medium Bohemiam percurrit, qua relicta, Misniam, Lusatiam, Marchiam, Brandenburgensem, ac Saxoniam præterlabitur, nouissimè Hamburgensi Prouincia à Bremensi disiuncta in Holsatia ad Cymbricam Chersonesum vasto ore Oceano aduoluitur. Fluminibus autem Lusimicio, Multania, Aegra ex Pinifero monte ipsa, Misa, Sala, ex eodem Pinifero orta, Mulda Sueuo, seu Sprel fluuio, Missenensi, Hortella, Huelo, Obacro, Tora, ac nonnullis alijs. Visurgis ab Occidente eam perluit, is ex Hessicis seu Abnobijs montibus ortus per Hessiam, Westphaliam ac Phrysiam Orientalem vehitur, donec Bremensem dioecesim præterlapsus mari Cymbrico misceatur. Fluminibus corriuatur Fulda, Leyna, Allero, ac plerisque alijs. Ad Orientē Odera interluitur, qui Silesia egressus ac Ola, Nisa, Olfa, Lissa, Barusio, Bobero, Katzbacho & alijs fluminibus auctus, Marchiam Brandenburgensem permeas in mare Pomeranicum, seu Balticum, iuxta Sundam exoneratur. Saxonia montana, minæris foeta sunt, quæ suis, à nobis, locis dicta sunt. Habet & Goslaria ultra æris, auri, argentiique mineras, ditissimos salis fontes, quibus & Hala, & Luneburgum abundat. Illud quoque memoratu dignum visum Montem haud ita procul à Cupferbergo reperiri, qui lapidē gignat,

emittentem odorem violarum. Quin & marmoris copiam hæc montana exhibent. Terminatur hæc Prouincia ab Occidente quidem Visurgi flu. quamuis nonnulli eam ad Rhenum usque extendant, à meridie Mæno flu. Francis, Bauaris, ac Bohemis contermina, ad Oratum Viadro flu. Silesitas, Polonus ac Prutenos attingit. A Septentrione Oceano Sueuico, Germanicoque, Codano sinu, Danis, mari Baltheo seu Cimbrico terminatur, quo loco Saxonum Insulæ visuntur, vt Rugia, & reliquæ. Incipit ab Occasu sub 29. gradu longitudinis, quo loco Monasterium Westphaliæ ciuitas conspicitur, ac desinit in Oriente sub gradu longitudinis 36. sub quo Meridiano Stetinum situm est. Ab Austro initium sumit, sub 50. grad. & 30. minut. latitud. vbi Olsnitzia Voirtlandiæ est, ac in Septentrionem extenditur ad 55. ferè grad. latitud. vbi extrema sunt Diethmarsiæ. Est itaque eius principium ad medium octauum climatis, quod est per medium Mæotim, usque sub finem decimi, quod est per Bullæuni Britaniæ. Parallelus itaque eius Australis 18. diesque ibidem prolixior horarum 16 $\frac{1}{2}$. Borealis autem est 22. ac dies prolixior horarum 17. & $\frac{1}{4}$. longa est itaque ab Occidente in Orientem milliaribus Germanicis 60. Italicis autem 240. latitudo autem ab Austro in Boream ferè eadem est.

LIVONIA ET MOSCOVIA DV CATVS.

DE Liuonia seu Leuonia nominis ortu, nihil certi asseuerare ausim, de eo autem haec sunt verba Altameri. Fieri potuit, inquit, ut à Lemouijis progressi sunt Liuones seu Liuonij postremi Germanorum ad litus Venedicum, ad Parallelum Scandanuiae Insulae, quæ Gothlandia dicitur, habitantes, quos tamen ab Efluxis mallem deriuare, vocabulo vulgari nonnihil suffragante, Eyflender vocantur. Leuoniorum etiam mentio est apud Ptolemaeum lib. 2. cap. 11. Et paulò post ubi de AEstijs sermo fit, inquiens corrupta Taciti lectionem restituisse Beatum Rhenanum, qui reposuerit AEstiorum gentes. Apparet enim, inquit, Rhenanus in Archetypo fuisse AEstuorum pro AEstiorum, ex quo alius fecerat Efluxorum, nam uero iij veteres librarij ponebant. Si vero Archetypus habuit (inquit Althamerus) Efluxos, autem iurare Eyflandios ab illis nuncupatos, vocabulo paululum variato. Hi populi etiam Sudini dicuntur, & eorum regio Sudina, Prussiae cohærens. Lectunno quoque eodem reponere placet nonnullis, à quibus fieri potest, ut nomen aeruatum sit. Regionis prouinciae particulares hodie numerantur Samaiten, Curländia, Senegallia, VVirla & Harin. Regio ipsa à Teutonici ordinis equitibus subacta ijsdem paret, horum quasi mancipia sunt incolæ. Vrbes continent famatas, ac reliquis nobiliores Rigam metropolim, ac celeberrimo emporio injignem ad Dzuniam flu. qui ab ea duobus milliaribus magno Liuonico sinu misicitur. Derpt quoque emporium est, quod Rutheni maximè frequentant ad Lumbeci flu. ripam, non ita procul ubi Peibæ lacui iungitur. Reuela ad posteriorē Liuonie sinum sita, mercatum ipsa Riga non ignobiliorum habet. His quoque accedit Nerua, quæ & ipsa emporium est Russie vicina, in extremo Liuonie sinu. Episcopatus in ea sunt quinque, è quibus Rigenses Archiepiscopatus dignitate pollet. Reliqui sunt Derpt, Reuel, Oeffel, & Gerlandt. Sunt præter has vrbes etiā alia oppida, Pernouen, VVenden, Vellum, VVolmar &c. Genti potus est Medo, Cereuisia & vinum Rhenense: quod Agrippinensis Colonia mittit, à ditionibus coëmitur. Populus otio plus & quo deditus, fœminæ præsertim, quæ laborare sibi contumeliosum ac inhonestū ducunt. Feriari autem & otiosas esse pulchrum aestimant. Idiomata ipsi varia sunt, ac sibi inuicem minimè affinia. Reuela tamen & Derpt eodem vtuntur sermone, quem Estensch ipsi vocant. Riga autem & vicina illi loca vera Liuonica vtuntur lingua. Terra autem ipsa arenosa ac paludibus innua, syluis in immensum densa, plana, à montibus minime apera, agrū vsque adeò fertile habet ut illis vicinis, cum cariore premuntur annona, succurrere posse: ut plurimum tamen incultum habet, ob incolarum nefandam pigritiam atque desidiam, cui gulæ etiam vitium accedit, haud minus graue. Regio armenta alit plurima, feræq; lepores in ea nati hyeme plerunque pellem pilosue muçat ac albi fiunt. Vulpes, Lynces, Martres, Zabelas, Hermelinosque gignunt. Hic Heruinæ ingentia brachia. Fluminibus rigatur regio Dvrina, Ernista, Limbeco, VVinda, ac nonnullis alijs, quæ omnia mari Balticu seu Venedico miscentur. Terminatur autem ab Occidente eodem Balticu seu Venedico mari, à Septentrione sinu Finnico, Aquilonaria Nerua flu. à Moschouia separat latus totum Orientale, eiusdem fluminis parte, & Russia limitatur Lithuania. Ad Austrum autem Lithuaniae conterminam habet, de qua pauca quoque subiungemus. Horum nomen vnde genitum sit, sic refert Matthias à Miechow, quosdam Italicos propter Romanorum dissensiones diruisse Italianam, terram Lithuaniae ingrossos, regioni nomen Italiae, genti vero Italica indidisse, quæ per pastores deinceps terra Litalia, & gens Litali L. litera præposita cœperit nuncupari. Ruthenos autem & Polonos, eorum vicinos mutationem maiorem fecisse, vsque in hodiernam diem, terram Lithuaniae, gentes vero Lithuaniae appellare. Verum magis arridet mihi Erasmi Stellæ sententia, qui Vidungi filium, eò quod ex matre Alana natus esset Litalalani vocatum, nomini occisione dedisse, eū cū fratres ex Borussia matre nati, Borussia cedere cœgissent, cum Alanis retrogressus est, auitaq; loca repetit, hisque dominatus est, ac pristinas sedes occupauit, ab hocq; eorum duce, qui prius Alanii dicebantur, Litalalani dicti sunt, nunc hodie vulgo Litfani nuncupantur ac Lithuaniae ducatus est ingens. Horum pars est Samogathia, quam ipsi suo sermone sic vocarunt, quod terram inferiore sonat, annumeratur eis etiam Maszouia ducatus, item Plesconia & Nouogardia, Smoluensis quoque ducatus. ita in complures ducatus hic tractus distinguitur, qui omnes sub Lithuaniae magno ducatu complexi sunt. Lithuaniae metropolis est Vilna, ciuitas tanta, quanta Cracovia cum Kazimiria & Clepardia, cum omnibus suburbis. Verum domus in ea contigua non sunt, sicut in nostris mos est edificare ciuitatibus, sed sæpe interserunt horti, & pomaria. habet Vilna bina castra murata, quorum al-

terum in monte, alterum in valle situm est. Nouigrad vero, quam Latinis Nugardiam vel Nouagardiam vocant, dum sub Lithuaniae magno duce, nunc autem per iohannem Moschouæ principem capta est, ea quam Roma paulò amplior est: cōtinet enim in ambitu triginta quinque millaria Italica, cum Roma triginta duo saltem complectatur. Nouigraea lignea habet ædificia. Et fuerunt adhuc quæ sunt, in ea ditissimi mercatores; vnde Ioannes Moschorum princeps cum anno Domini 1479. Nouagardiam Kazimero magno Lithuaniae duci eriperet, trecentos currus ad summū onustos duntaxat auro, argento & vñionibus pretiosis in Moschouiam abduxit. In tantum hæc in Septentrionem vergit, ut circa Solstitium æstivale post occasum Solis appareat lux vsque in ortum Solis, ut artifices, sartores, futores, & cæteri Mechanici suere & laborare possint. Cæterum spatioſa & ingens est Lithuania, nec frequens vrbibus. Vnde iter facturi comeatum comportent ad aliquot dies oportet, cum campi spacioſimi sint ac deserti, nec obvia diuersoria alemoniam sequuntur, & vñfas peregrinantes non secus ac nauigantes obseruant per vasta deserta, quæ verno tempore ob paludum moleſtiam & frequentiam impermeabiles sunt, hyberno autem frigore congelati, mercatoribus per glaciē quævis onera sustinente, transitum præbent. In nobilioribus fœminis non reprehenditur præter maritum legitimum, alijs seſe subiçere viris, etiā m. arito conſcio, eos thori socios ac coadiutores vocant, viris autem id criminis verteſetur. Lingua illis quadrifaria: prima est Iacquingorū, eorū qui circa caſtrum Drohinc habitarunt: altera est Lithuaniae & Samazethorum: Tertia est Prutenica: Quarta autem est Lothuanorum seu in Lothibola. i. Liuonica circa flu. Dzuna, & Rigam ciuitatem, quæ quanquam lingua sit eadem, alter tamen alterum plane non intelligit. Terra in vniuersum paludibus impedita est ac syluis horrida, quæ alicubi decem, alicubi vero quindecim, non-nunquam & viginti milliariorum spatio patent. ad latera vero desertorum & syluarum villa & habitatores inueniuntur, ac cum syluae ingentes nemorag̃ amplissima sunt, magna ac multitudine in ijs feræ & vñſuntur & capiuntur. Vri, Boues syluestres, quos vernacula ipsi Thuri & Zuinbrones vocant, Onagri, Equi sylvestres, Cerui, Damæ, Doræ, Capreæ, Apri, Vrsi, Mardures, Scismi, & cætera genera ferarum. Est & in Lithuania & Moschouia animal voracissimum & inutile, quod alibi non comparet, Rossmalza nominatum, quantitatatis canis, facie catti, corporis & caudæ & vulpis, colore nigrum. Id inuenito aliquo cadavere, in tantum vorat, ut extedatur & infletur tanquam tympanum, repertaque angustia stricta inter arbores, intrat & extrudit se, cum violentia premendo, ut violenter comesta violetius egerat, sicq; extenuatum denuò cadaveri accurrit, & identidem repetit expreſſionem inter arbores, donec totum abſumat & deuoret morticinium. Et forsan natura tam insatiabile animal in illis regionibus producit, ut homines simili voracitate laborantes redarguat. Ager bono fœnore reddit creditum sibi ſementum. Pane vtuntur nigerrimo vulgo, ex ſilagine aut hordeo vna cum furfuribus. Diuitū autem panis albissimus, ex puro tritico pifitetur. Vino carent, niſi quod aliunde importatur, præcipue Rhenense, Medone & ſpiſſo & tenui & vario modo cocto reficiuntur & inebriantur. Cereuſiam etiam coquunt variam, puta ex frumento, ſilagine, hordeo, auena, milio, ſaporis ingrati. Vulgus autem aquam bibit. Oliuæ & fructus dulces illic non crescunt, algida eternim & aquam bibit. frigida est Prouincia, Montes ibidem nulli conficiuntur. In Lithuania fontes sunt Dinepr flu. seu Boryſhenis post caſtrum Vesnya, ex terra plana, lutosa, ex stagnis ac emensis trecentis milliarib; Germanicis, in Pontum incidit. It. m. Vilia & Vilna flu. in Lithuania orti Niemen flu. incident, is mari Prutenico miscentur. Lithuaniae etiam perluit Dzuna flu. Ad Occidentē Poloniae, ad Septentrionem Liuonie contermina, ab Oriente Osoli, Ingra, Donyetz, id est, paruo Don, ſive Tanai ac Moschouia, ad Austrum Russia, Volhinia ac Podalia terminatur. Ambæ itaque coniunctæ regiones Liuonia & Lithuaniae initium sumunt in Occidente ſuæ longit. grad. 45. vbi est Inſterlurgum Prussiae, definitq; in Oriente ſub grad. long. 57. min. 20. vbi est Smolensk vñ caſtrum. A meridie incipiunt à gradib. lat. 50. & minut. 25. vbi est Dryhe Lithuaniae, & extenduntur in Septentrionem ad gradus lat. 63. min. 50. vbi est Nerua Liuonie. Subiacent itaque à medio 8. climatis, quod est per mediā Mæotim vsque ad medium ferè 14. quod est per Thylen. vnde Parallelus eius Australis est decimus octauus. vbi dies prolixior horarum 16. Borens autem est 29. vbi dies prolixior horarum 21. longitudo autem ab occaſi in ortum est milliariorum Germanicorum 198 $\frac{1}{4}$. Italica 795. at latitud. ab Austro in Boream milliaria continet German. 102 $\frac{1}{2}$. ſeu Ital. 410.